

Johannes Assuerus Ampzing

Programma In obitum Viri Honoratissimi, Laurentii Hagemeister/ Civis Rostochiensis primarii

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777522713>


Druck Freier  Zugang





Assverus, J.,
in L.Hagemeister.

R. 1626.

78.







24.

31

PROGRAMMA
 In Obitu
 VIRI HONORATISSIMI,
LAURENTII
 Hagemeister /
 Civis Rostochiensis primarij.



ROSTOCHI
 Literis JOACHIMI PEDANI,

ANNO M, DC. XXVI.



RECTOR

ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS

JOANNES
ASSVERUS

Ampfingus Transilulanus Med.
D. ac Professor.



*Anctus Augustinus edisserens
verba illa Apostoli Jacobi c. 4.
Quæ enim est vita nostra ?
Vita, inquit, hæc est vita
dubia, vita coeca, vita
ærumnosa. Quam humo-
res tumidant, dolores ex-
tenuant, ardores exsiccant, aëra morbi-
dant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissol-*

dissolvunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo
coarctat, securitas hebetat, divitiæ jacti-
tant, paupertas dejicit, juvenus extollit,
senectus incurvat, infirmitas frangit, mœ-
ror deprimit, & post hæc omnia mors in-
terimit, univerlis gaudijs finem imponit.
Ita cum esse desierit, nec fuisse putetur.
Hactenus Augustinus.

*Quæ quidem vita nostra graphica descriptio, si
fusiùs explicentur singula, ingeni pondus continet
humanarum miseriarum, O miseris nos! qui ista
non videmus, ne admoniti quidem. Primus ad
sanitatē gradus est, cognitio morbi: & nos, nisi mise-
riam nostram penitus perspiciamus, ab ea liberari
non poterimus, neq; melioris vitæ amore accendi.
Cæci sumus (proh dolor) & sensus nostri hebetati
sunt securitate. Opus est caputpurgis, opus est
collyriis, opus est perspicillis. Excute veterum,
frater Christiane, quisquis es. Considera mihi ho-
minem in genere, tum deinde facta hominum di-
stributione per sexus, per ætates, per vitæ genera,
quid singulis accidat, attende, Homo, inquit,
Job. cap. 14. muliere natus tam brevis ævi,
tam plenus est miseræ, qui ceu flos exor-
tus carpitur, ac velut umbra fugit, neque
durat.*

durat. *Et Ecclesiasticus cap. 40.* Ingens negotium & grave jugum omnibus Adamo prognatis hominibus impositum est, à die eorum egressionis ex suæ cujusque matris utero, ad diem reversionis in omnium matrem: cogitationes, timores animi, expectandarum rerum imaginationes, & dies obitus. Tam eum qui in solio gloriosè sedet, quàm qui humi & in pædore est, tam qui hyacinthum coronamque gestat, quàm qui crudo lino indutus est. Hos, inquam, furor, æmulatio, perturbatio, commotio, mortis timor, iracundia, lites, & tempore quietis, nocturnus in cubili somnus dementant. Parum, ac pene nihil datur quieti. Deinde in somnis, perinde ac si sint excubiæ, animorum suorum visionibus perturbati, quasi ex prælio evaserint, (cum sint extra periculum) expergescunt, & terrorem, qui nullus est, mirantur.

Hæc cum omnibus animantibus tam hominibus quàm bestiis insunt: tum improbis præterea septuplo plura, necesse, sedes, lites, gladij, impulsiones, fames, calamita-

mitates, clades: quæ omnia in sceleratos
creata sunt.

*Citari dictum unum & alterum quæ ferè de
homine loquuntur quæ homo est: jam atates consi-
deremus & primo quidem infantilem, de qua
Poeta:*

— nudus humi jacet infans indigus omni
Vitai auxilio, cum primùm in luminis oras.
Nixibus ex alvo matris natura profudit:
Vagituq; locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

*Vix infantili atate eluctati, & pueritiã ingreſſi
mox gravioribus exponuntur periculis, varijsq; for-
tuna casibus sunt obnoxij, nunc in ignem cadunt,
nunc aquã merguntur, nunc in precipitia ruunt.
& quis enarret omnia? Quando manum inci-
piunt subdere ferula scholastica & disciplinã coër-
centur, toto illo decursu scholastico, vix seias quid
ab incarceratis differant.*

*Crescente atate crescunt pericula. quis Adole-
ſcentum quis Furvenum temeritates enumeret?
quas poetæ fabulis Phaëtonis, Icaris & Bellerophon-
tis ob oculos ponere voluerunt. De Phaëtonem, qui te-
merè patris currum regendum acceperat. inquit O-
vidius lib. I. trist.*

Vitaret cœlum Phaëton si viveret, & quos:

Optavit stulte tangere nollet equos.

*Idem ibidem Icaris stultitiam & juvenilem te-
meritatem describit his verbis:*

Dum

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis
Icarus, icarias nomine fecit aqvas.

Bellerophon etiam Juvenis felici rerum successu elatus, quod beneficio Pegasi, quem à Neptuno acceperat, Chimeram, summa cum laude superasset, voluit in cælum evolare. Itaque Jupiter immisso astro, eum eqvo excussit.

Ætas virilis quæ Juvenilem insequitur majoribus adhuc periculis subjacet. Sed video me telam exorsum quam hac vice detexere non poterò. Itaque quod hujus materia est reliquum differam in proximum. Nunc ad rem presentem.

Veritatem dicti Augustiniani in Exordio positi, suo etiam exemplo die hodierno nobis testatam fecit vir primarius & patritij ordinis LAURENTIUS Hagemester / qui fato discedens & viam ingressus universæ terræ confirmavit dictum Apostolicum Non habere nos hic civitatem manentem, sed esse nostram in cælis, monuitque nos ne terrenis inhiemus, sed corda nostra sursum elevemus ubi Christus Salvator noster ad dexteram Dei sedet in gloria Patris, & unde iudex venturus creditur.

Aditus autem in lucem fuit Defunctus noster Ann. 1580. 18. Jan. Gustorij patre GEORGIO Hagemester, ea tempestate Secretario aulico, se a quem illustrissimus Princeps, ob singularium rerum gerendarum peritiam & dexteritatem, non multo post

Coco.

Oeconomum suum esse voluerit, mox etiam Quaestorem. Mater vero illi fuit REGINA Krögers/matronalium virtutum radijs pra multis alijs coruscans, quae imprimis id operam dedit sedulo, ut vidua, post mariti obitum, hunc suum filium, cum germano fratre suo JOHANNES HAGEMEISTERO, liberalioribus disciplinis imbuendum curaret, Itaque postquam pulverem scholae patriae ad annos aliquot trivisset, jamque ad majora aptus videretur, cum ablegavit Rostochium, dehinc Jenam tandem Lipsiam, quibus in Academicis haud penitendos studiorum suorum progressus fecit. tandem abrupto studiorum filo in Patriam atque huc ad nos Rostochium rediit; quo tempore evenit ut Legatio ab illustri Principe Udalrico Duce Megapolitano p. m. mittenda esset ad Comitum Imperij, quae tum Regibus in aliis Ratisbonae facienda erant. Hanc occasionem nactus Defunctus noster, Ratisbonam visit, multaque in ea profectio vidit et observavit quorum usus postmodum in vita ipsi utilis esset. Reversus connubij foedus inijt cum pudicissima Virgine Ursula Serdes/ Dn. STEPHANI Serdes/p. m. hujus urbis Senatoris, et CATHEARINAE Meckelnborges/legitima filia. quae nunc maestissima vidua desideratissimum maritum luget. Ex hoc matrimonio suscepit septem liberos, nempe quinque filios et duas filias, quorum liberorum, quatuor filij superstites


Krögers?

stitos sunt: reliqui omnes diuersis temporibus saeculo excesserunt. Non videtur praterendum quod fratrem germanum habuerit JOANNEM HAGEMEISTERUM J. U. Doctorem, qui illustrissimo Principi Carolo Duci Megapolitano p. m. à consilijs fuit.

Erat Defunctus noster, dexter ad res gerendas, Ideo per integros annos sex arario Provinciali adhibitus fuit, quo quidem officio fideliter & cum laude est perfunctus, Adde quod Serenissimæ Danorum regina viduæ etiam in hisce locis veluti negotiorum prefectus fuerit, tum ob fidem tum ob industriam.

Morbus cum quo conflictabatur, diuturnior & lentior fuit, corpore erat cacochymico; tandem Erysipelate correptus est, cui Epilepsia accedens eum sustulit. Quia verò indies fracescens & imbecillior factus de mortis hora sollicitus erat: paucis ante mortem diebus sacra synaxi languentem animam ad iter cælestis patriæ pramunivit, atq; ita pio & beato exitu hanc vitam finiuit.

Mœstissima vidua, quæ propter obitum defuncti mariti in acerbissimo luctu versatur unâ cum alijs cognatis, affinibus & amicis exanime mariti corpus terra mandare constituit, hodie hora dimia prima in aede Mariana rogatq; majorem in modum cives Academicos omnium ordinum ut spectabili sua presentia exequias has ornare dignentur. Id omninò æquum fuerit, quandoquidem ordinis nostri amantes semper exstiterint. Invito igitur quæ par est humanitate cives Academicos omnes, Dnn. Professores, Doctores, Verbi administratos, Magistros & generosam Studiosorum pubem, ut dicto tempore & loco frequentes conveniant funus honorificè deducturi, Deum pro ineolumitate Academiae urbis & Provinciae precaturi, & suam quisq; horulam fatalem beatam meditaturi. P. P. 8. Decemb. Anno 1626.





Oeconomum suum esse voluerit,
storem. Mater verò illi fuit REG-
tronalium virtutum radijs pra-
scans, quae imprimis id operam da-
dua, post mariti obitum, hunc su-
germano fratre suo JOHANNES Ha-
ralioribus disciplinis imbuendum
postquam pulverem scholae patriae
trivisset, jamq; ad majora aptus
legavit Rostochium, dehinc Jena-
psiam, quibus in Academijs huius-
diorum suorum progressus fecit.
studiorum filo in Patriam atq;
schium redijt; quo tempore even-
lustris. Principe UDALRICO Duce
m. mittenda esset ad Comitum Im-
ginobur i alias Ratisbonae faciendae
causam nactus Defunctus nosse
set, multaq; in ea profectioe via
quorum usus postmodum in vita
versus connubij foedus iniit cum
ne URSULA Gerdes/ Dn. STEPH-
hujus urbis Senatoris, & CATHE-
ges/legitima filia. quae nunc me-
sideratissimum maritum luget.
nio suscepit septem liberos, nempe
duas filias, quorum liberorum,

Que-
s/ma-
s coris-
ut vi-
cum
, libe-
Itaq;
aliquot
um ab-
Li-
tos stu-
brupto
Rosto-
io ab il-
tano p.
um Re-
anc oc-
am vi-
rvarit
set. Re-
Virgi-
s/p. m.
elnbor-
dua de-
atrimo-
lios &
ij super-
stites

Königer?

